



**Ambrosius Calepi||nus Bergomates: professor de||uotus  
ordinis Eremitarum sancti Au||gustini: Dictionum  
latinarum e greco || pariter diriuantiu[m]:  
earu[n]de[m]q[ue] interpre||tationu[m] collector ...**

**Calepino, Ambrogio**

**[Wien], 1512**

**VD16 VD16 C 227**

Ambrosius Calepinus Eremitanus/ Senatui Populoq[ue] Bergomensis:  
Salutem plurimam dicit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-97871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-97871)

F. Daniel Agricola Minoritanus/Leonardo Alantsee Felicitatem.



**S**i plerofq; Leonarde Bibliopola/quoad follicite parturientes  
Dictionum codices perlegerim: quorum alter in immensum excreuerit nemus: alter  
vero q̄q; copiosa redundaret vocabulorum multitudine: Tamen omnibus nostrum  
antecellere: & correctionis lima/ & scaturitionis vena/ Calepinum videre videor:  
quem e pluribus sagacitate quadam peculiari unum delegeras. Illud sane auisim pro-  
specto volumine & cognito auctore: ut nulli secundus succedat asserere. Nulla pro-  
fecto alterius (pace omnium dixerim) doctrina perspicacior/eruditior diaphanior: nul-  
la deniq; studiosorum utilitati accommodatior. Hac itaq; opera tua omnium studentium tibi deuinx-  
isti mentes: & eo amplius quo Adam noster de Langendorff hypoplastes/ Calcographæ solertia: Ca-  
lepinum uniuersis/ & castigatum & saepius reuisum: litteris excussum decusatumq; exhibuit. Vale ergo  
prouide vir Leonarde. Ex Basilea Sextadecima die mensis Februariar: Anno. 1512.

Ambrosius Calepinus Eremitanus/Senatu Populoq; Bergomen-  
si: Salutem plurimam dicit.



**D**LVRES ANNI SVNT MAGNIFICI CONSUM-  
matissimiq; viri: ex quo vel a prophanis: tum veteribus: tum recentibus: vel a catho-  
licis: & his sane doctissimis/sanctissimiq; viris: copulatas dictionum interpretatio-  
nes: quæ mihi ad pernoscendas auctoꝝ sententias idoneæ viderentur: excerpere/at-  
q; in unum coepi cogere. Quod plane opus sic a me susceptum esse velim existimetis: ut  
alij s/ & mihi in primis: usui quadoq; futurum esse confiderem. Non enim tam instruendos  
alios/ q̄ me exercendi ingenij gratia id efficere aggressus sum. Nam cum a teneris (ut  
aitur) unguiculis: inter sacroꝝ numerum fauentibus superis relatus fuissim: & neq; declamationibus re-  
fragante natura me dedendum putarem: neq; percipiendæ philolophiæ ulla mihi a patribus facultas da-  
retur. Quippe qui in id tēporis incidissim: quo de saluandis animis timido cogitandum foret: cum nec tē-  
pus omnino frustra terendum ducerem: haud iniqua res visa est: ea me amplecti studia: quæ certam præ se  
ferrent humanitatē. Neq; vero eo vel temeritatis/vel dementiae redactus sum: ut bonas artium studiosis  
fatis me facere posse existimem: quādo nemo (licet sapientissimus) id unq; præstare poterit: certosq; sciam  
me nec tanto ingenio/ tanta ve litteratura præcellere: ut quæ a Nonio Marcello/ Festo/ Popteo/ Pediano/  
Seruio/ Donato/ Varro: ceterisq; latinæ linguæ luminibus/ elucubrata fuerint: ego ipse magis religio-  
ni dedicatus/ q̄ cupiā disciplinæ/ clarius/ aut enucleatius scribere posse considerem. Verū quia in præfatis  
illis litterarū antistitibus plurima desiderabantur: ego (ut cōi studiosoꝝ utilitati consulere: ac meis  
pro viribus suscepti muneris officio cumulatissime satisfacere) ea carptim ex omnium pene disciplinarum  
monumentis expromere conatus sum: multa cōtra Laurentij vallā/ contra Priscianū/ aliosq; auctores  
præstantioꝝ auctoritate nixus. Plus em apud me Ambrosij/ Hieronymi vel Augustini grauitas: & do-  
ctrina valet/ & græcorū: q̄ Laurentij vallæ studiosa reprehensio. Id autē bene maleve fuerim assecutus/  
iudicet alij. Hoc unū affirmare auisim nostrū hoc opus: & vocabuloꝝ multitudine/ & præpositionū in-  
terpretamento/ & auctoꝝ citatione: ordineq; dictionaria cuncta superare. Quod cum in volumen amplū  
excreuisset: ac illud multoꝝ rogatu emittere statuissem: patriam delegi/ cui id dedicare. Nam cui potissi-  
mū consecrari opus de re litteraria debuit/ nisi patriæ: & illi quidē patriæ/ in qua magno & excellenti in-  
genio viri sunt: qui de grauitate/ de iuris prudentia: deq; omni scientiarū genere præclare meriti essent:  
quos ego tanq; obices oblatratibus cōstitui opponere. Fere em pleriq; omnes qui in litteris præsertim  
aliquid edidit: id principi/ vel senatu cupiā inscripserit: quærentes ut ab eorū potentatu ac magnitudi-  
ne: laboribus suis apud omnes auctoritate/ & ab inuidis tutelam/ munimentq; pararent. Prudentes id  
quidē/ quādo ita veteri consuetudine fieri videmus: ut omni in re quæ principes probant: ea ceteri lau-  
dent/ cupiant/ tueant. Scio nāq; futuros esse/ qui labori nostro detrahant. Ita em hic: ut quæcumq; morta-  
les agāt: siue priuatim/ siue publice: calumniæ subiacere certū sit: nec diuinis operibus male dica lingua  
parcitur/ tantū sibi humanus arrogat intellectus. Ego non nisi volentibus hæc legenda trado. Multa sa-  
ne fateor a me tradita sunt/ quæ alij probent: ab alijs vitio dentur: quod pleriq; (etiam doctissimis) usui  
venisse compertum est. Velle suum cuiq; est (inquit Poeta) nec voto viuatur uno. Donus quæ apud so-  
rum extructa est: q̄ editor sit vel depressior/ q̄ æquū videatur/ saepe contēditur. Difficile reor omnibus  
placere posse. Sed ego non solū cupiā me nō præpono: sed nec acquiparo quidem: eligens cum propheta  
abiectus esse in domo dei. Quare si meū opus a vobis acceptum fuerit/ illud q̄ probabile videamini: ab-  
esse non poterit: quin a tam grauibus/ tam doctis/ tamq; eloquentibus viris laudatum: laudandū quo-  
q; reliqui existiment. Multa vero: immo pene innumerabilia desunt in hoc opere. Quis em uniuersa mul-  
tis etiam queat comprehendere voluminibus? Verum ne longius epistolā euagari patiar: finem dicen-  
di faciam: si modo hoc unum vos monitos effecero/ quod ad rem plurimū conducere videtur: quippe  
quod unāquaq; dictionē inuentu facile reddit. Nā omnes orationis partes/ aut simplices sunt/ aut copo-  
sita. Quæ simplices sunt: suo quoq; loco pro duarū trium vel litterarū precedentū ordine collocant. Cō-  
positarū autem simplicibus/ alij per se/ in variam multiplicemq; earum significantiā coopraui: ab A  
littera initium sumens.